



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales**

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

30. Quæstiones aliæ quædam diluuntur eandem ad rem attinentes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14007**



## CAP. XXX.

## Questiones alie quedam diluntur eandem ad rem attinentes.

Primo quæritur. Quomodo permutatio fieri debeat. An videlicet ea fieri & perfici queat ex temporis intervallo? Hanc quætionem tractavi in cap. superiori qu. 26. Ioan. Monachus, & Ioan. Andr. e. 1. de rer. permut. in 6. suadent, ut fiat citra vllum temporis intervallum. Si tamen aliter fiat, dicunt, valere quod fit. Vnde si auctoritate duorum Episcoporum permutterentur beneficia duabus in diocesis constituta, tutius inquirunt, esse, ut vel ambo conueniant inter sese, & simul permutationem expediunt, vel unus vices suas hac in parte committat alteri, vel ambo certe committant alicui, qui nomine ipsorum beneficia permutteret. Cæterum, ut superius dixi, permutatio iure communi fieri potest ex intervallo temporis.

Secundo quæritur, Intra quantum temporis spatium Ordinarius loci, permutationem admittens, conferre debeat beneficia permutterata? Paul. in Clem. 1. de rer. permut. Federicus q. 29. Vbal. nu. 54. Egidius p. 5. q. 1. aiunt, certum tempus non esse ad id iure constitutum: a tamen superior Ordinarius potest inferiori Ordinario apud quem beneficia permutterantur, præcipere, ut intra certum tempus totam permutationem expediat, si minus, ipse perficiat.

Tertio quæritur, An scripto sit facienda permutatio? Egid. p. 9. q. 1. facienda est, ut ea scripto constet, & facta esse in iudicio probetur. Deinde fieri debet absque vlla Simoniacæ nota, ac ideo absolute & simpliciter, hoc est, sine vlla conditione earum quatuor vltimarum: *Facio ut facias. Do ut des. Facio ut des. Do ut facias.* Egid. loco cit.

Quarto quæritur, quot & quibus de causis beneficia permutterentur? Vna est omnium opinio, duabus de causis: videlicet, vel quia Ecclesiæ necessitas, vel utilitas postulat. Vbal. nu. 88. Egidius par. 6. q. 1. Aliquando vero permutatio fit ipsorum Beneficiariorum causa, ita tamen ut ipsorum commodum, in bonum quoque Ecclesiæ reuolueretur: ut si clericus tuto nequeat in loco commorari propter assiduas, vel perpetuas inimicitias, vel aeris imperiem: vel non possit suo fungere munere ob linguæ & sermonis imperitiam. Vbal. Egid. locis supra citatis. Sed numquid solum ob personæ fauorem nulla habita ratione utilitatis Ecclesiæ, licet Episcopus beneficia permutteret? Egidius p. 6. q. 2. ex sententia Hostiensis & Ioannis Andree, concedit Episcopum id facere iure non posse: si tamen fecerit, ratum esse & firmum quod facit. Sed primum est dicendum.

Quinto quæritur, An Clericus possit Episcopi auctoritate compelli ad permutterandum beneficium? Neg. ut nonnulli, uti Ioannes in glossa, e. Episcopus. 7. qu. 1. Ioan. Andree c. quæsitum. de rer. permut. & Paulus in Clem. 1. eod. tit. Sed eorum opinio locum habet, quando in Ecclesiæ necessitas vel utilitas non possit: secus compelli potest, cum Clerici in Ecclesiæ utilitatem Ordines susceperint. ea quæris, de astate, & qualitate. Eadem ratione cogitur quis fieri Episcopus. ca. distinet. 22. qu. 4. e. in scripturis. 8. quæst. 1. cap. Ante omnia, distinet. 4. Idem tradit Innocentius in c. nisi cum pridem. de renuntia. Nec tamen sufficit, si vnus eorum magis sit utilis Ecclesiæ, quam alter, sed oportet ut vnus sit inutilis Ecclesiæ, alter vero utilis.

Sexto quæritur, An sit permutatio: ego beneficium meum resigno, ut tu habeas, ut tuum nepoti meo conferatur? Minime quia permutatio non nisi inter duos esse potest: item quia non dimitto rem meam, ut habeam tuam, sed est alius contractus quidam innominatus. Facio ut facias, sive Do ut des, qui cum iure Canonico reprobatas sit, eo quod omnis pactio & conventio prohibetur in spiritualibus. e. vlt. de pact. ideo Simoniacus est talis contractus: & eorum Ordinarij locorum fieri nequit. Federicus nu. 69. Vbal. nu. 90.

Septimo quæritur, de effectis, quæ permutatio gignit. An videlicet permutatio in pediat optionem in beneficiis? de qua in c. cno. in tua. de consuetud. in 6. Et ratio quæstionis est, ut supra dixi: in permutacione interuenit renuntia-tio, & per renuntiationem beneficium vacat, ergo eatenus locum habet optio, vbi moribus vtiuntur est recepta. Duæ sunt opiniones, Prima afferentium, optionem in permutacione locum habere. Ita opinati sunt Guido Episcopus Concordiensis, nepos Archiepiscopi, Argo Bononiensis, quæ opinio vltima est probabilis Ioanni Andree in c. cum in tua. de consuetud. in 6. in Nouellu. Secunda est opinio negantium esse locum optioni, sed eam per ipsam permutacionem impediri, quam tenuit constanter Federicus qu. 18. vbi sic ait: *In hac opinione semper fuit, & in ea perseverauerunt: eadem probauit Paulus & Cardinalis in Clem. 1. de rer. permut. Vbal. nu. 92. & seqq. Egid. par. 7. quæst. 2. Andree Gambar. part. secund. numero quadragessimoterio, atque veritati proprio: em, magis ipse etiam probat, & sequor. & certo ea colligi videtur ex Clem. prima. de rerum permut. a. vbi statuitur: Ne concessione iuris vtiuntibus præsertim circa spiritualia illudatur, si qua beneficia ex causa permutacionis ab aliquibus resignata alius quam ipsis permutterare volentibus conferantur, nullius hoc esse volumus firmitate. Nec valet, si dicas, in ea Clementina solum prohiberi, ne beneficia causa permutacionis resignata alijs præterquam permutterantibus conferantur. At per optionem beneficium non conferitur, sed antiquior Canonice sua auctoritate ad illud ascendit. Contra est, quia reuera in optione includitur beneficij vacantis concessio, sive collatio, ut vocant, ipso iure permittitur. At obijcit cap. cum in tua. supra memoratum, ita loquens: Cum in tua Ecclesiæ, in qua consuetudo habetur, quod antiquiores Canonici gradati meliores, si voluerint possint cum vacant per se, vel per alios optare præbendas: & quæ sequuntur: Dico, in permutacione minime locum habere optionem, quia hæc est consuetudine Ecclesiæ inducitur: sed mutatio ex iure vim suam & firmitatem habet, & ius in hac parte confuetudini præfertur. Vergebis consuetudinem de optando iure probati, in cap. proxima dicto. cum in tua. Verum quidem est, sed tamen, quamuis consuetudo sit ipso iure confirmata, potior est causa permutterantium: tum quia, quam supra attulimus, Clementina eam approbat: tum quia permutacionis causæ Canones & iura plurimum fauere volunt, cum permutatio ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ fieri consueuerit.*

Octauo quæritur, An permutatio impediat vel excludat litteras Pontificias eorum, qui expectant beneficium primo vacaturum? Impedit & excludit: sed enim constituit Bonifacius VIII in c. Licet de rer. permut. in 6. hisce verbis: *Licet in tua diocesi aliqui auctoritate Apostolica proxime vacatura expectent: illi tamen, qui secundum formam iuris sua beneficia in eadem diocesi ad tuam collationem spectantia permutterare volentes libere, ac sine fraude in manibus tuis ipsarum resignant, nolumus occasione præmissa, aequitatem præferentes in hac parte rigori, circa faciendam permutacionem beneficiorum huiusmodi, quæ alias minime resignassent, nullatenus impediri.* Hæc ibi. Nec expectanti iura: si quod auferatur: quia alioqui permutterantes, beneficia sua non resignarent, si beneficium expectanti deberetur.

Nono quæritur, An si duo Clerici Bononienses in Curia Romana, vbi etiam Episcopus Bononiensis commoratur, sua beneficia permutterent, eo ipso vacent in Curia, ut constitutum esse videtur in cap. licet. de præbend. in sexto? Id affirmant Egidius parte septima. quæstione quarta. Gambarus parte secunda. numero 147. additque Egidius, hoc esse vltimum receptum. Hinc liquet, eam permutacionem eorundem Episcopo Bononiensi fieri nequire; ac propterea eorundem Romano Pontifice esse faciendam. Quæret aliquis: An qui beneficia, permutacionis causa resignauerunt in Curia Romana, si moriantur extra Curiam, ambo, vel vnus illorum ante permutacionem completam, vacent ea beneficia in Curia, ut insinuat in præcitate ca. licet. Canon.



Dux sunt opiniones, Vna asserentium, ea beneficia extra Curiam vacare, quia non vacant per resignationem, sed per mortem: Clerici extra Curiam obire, non in Curia. Ea vero beneficia minime per resignationem vacare, inde constat, quod licet Clerici resignauerint in Curia, resignatur tamen non simpliciter sed causa permutationis: atqui permutatio effectum non est sortita: neque igitur resignatio. Sic Ioann. Andr. & decisio Rote 293. de rerum permut. in antiqua, vt resatur Andr. Gambar. part. 2. nu. 67. Altera est opinio eorum, qui asserunt in Curia vacare, quia nimirum ea Clerici beneficia in Curia resignantur, sed vt primum resignata sunt, vacant: igitur eo ipso vacant in Curia, siue mors Clericorum postea in Curia, siue extra Curiam sequatur. Et in hanc opinionem magis propendet Gambarus de permuta. beneficiorum par. secundum, sexagesimosextimo. Hæc sententia probabilior videtur: non habetur ratio temporis, in quo mortui sunt Clerici, fed eius, in quo resignantur: quia tunc beneficia vacasse intelliguntur.

Decimo quaeritur, An soluenda sit Annata tanquam iure debita ex beneficijs permutatis? Cardinalis teste Aegidio par. 10. q. 4. negat, inde scilicet, quia putauit beneficia nequaquam in permutatione vacare, nec conferri, sed Iura in beneficijs continuari. At enim probabilior opinatur Archidiaconus, & Ioan. Andr. in c. Si propter, de rescript. in sexto, oppositum affirmantes. Nimirum ipsa beneficia permutata, & resignantur, & vacant, & vere conferuntur, vt constat ex omnibus ante dictis.

Vndecimo quaeritur, An Superioris auctoritate admittis permutationibus beneficiorum, & collatis beneficijs, statim eo ipso acquiritur Dominium ijs, qui permutantur, ante possessionem adeptam hoc est quaerere, An acquiritur titulus, & ius in beneficijs? Innoc. & Hosti in c. Inter cetera de prob. volunt statim acquiri, & in hoc beneficiorum permutationem differre à permutatione rerum profanarum, cum non sit necessaria traditio, quam leges, & Iura ciuilia requirunt in possessione rerum profanarum consequenda. l. Traditionis. C. de patris.

Duodecimo quaeritur, An qui compleuit permutationem, possit alterum adigere ad complendum? Glossa, & Cynus in l. Cum precib. C. de rerum permut. id ficti possent negant in contractibus innominatis, qualis permutatio est, sed solum, inquit, potest cogere alterum, vt quod ipse passus est damnum, referat atque compenset. Verius tamen est oppositum, quod ceteri, teste Aegidio, par. 10. q. 3. tradiderunt. Sic etiam Vbal. q. 8.

Decimotertio quaeritur, An quando permutatio iure ipso non valet, & permutantes ea possederunt bona fide, ac postea obierunt, vacant per mortem, An per resignationem permutantium beneficia? explico rem: Titius, & Caius permutarunt sua beneficia, sed permutatio rata non fuit, ipsi tamen bona fide in ecclesijs inseruierunt, & tandem mortui sunt. Necessè est, quaestionem hanc prope cognitam atque exploratam habere, ob id quod definitum est à Bonifacio VII. in c. susceptum, de rescript. in sexto. his verbis: *Susceptum ab Apostolica sede mandatum vt ab aliquo beneficii quod obtinet, resignatione recepta, ipsum alteri conseruas, & assignes, adimplere non potes, si ille antequam resignes, rebus aximatis humanis, cum non per resignationem, sed per mortem vacauerit.* Ioan. Andr. in c. licet, de rer. permuta. in sexto, ait vacare per mortem, quia non valet resignatio, cum rata non fuerit permutatio, cuius causa resignarum est beneficium: & proinde conferri alteri non potuit tanquam vacans per resignationem. Sic etiam Lopus in Additionibus ad tractatum de rerum permutat. Federic. n. duodecim. sic etiam Aegid. par. 9. quest. 4. Federicus tamen ita distinguens, qu. 6. *Aut permutantes, inquit, sciebant se beneficia permutare non posse, & tunc vacant per resignationem: aut nesciebant, & tunc per mortem, quia sine culpa ipsorum effectus caruit permutatio.*

Decimoquarto quaeritur, Quid de Titio dicendum, qui beneficium permutationis resignauit, quod fuit Cai-

io collatum, sed quia beneficium Caii erat in altera dioecesi longe distantia constituta, ideo ipse Caius ad mensum vnum, vel duos vtrumque beneficium possedit: quidam alius obtinuit primum tanquam per adaptionem secundi vacans, vt statuunt decreta Pontificum contenta in capit. de multa, de prob. & in Extrauaganti Ioannis 22. cuius initium est, *Execrabilis, de prob.* & tandem Caius, vt permutationem ex sua parte perficiat, primum resignat beneficium: Quæritur ergo in presenti, An hæc vltima resignatio valeat, An potius impetratio, qua alius est beneficium consecutus: Respondo, cum Federico quest. 11. quem sequitur Rebuff. 1. par. praxis beneficiorum tit. de noua prouis. nu. 34. valere vltimam resignationem quia hoc ipso, quod Titius suum beneficium resignauit causa permutationis, beneficium, quod Caius obtineret, est illi debitum, vt statuitur in cap. 1. de rer. permut. in 6. & Clem. 1. eo. t. Neq; vero in hoc locum habet, quod præcipitur in eo c. de multa. & in extrauag. Execrabilis, cuius sup. facimus mentionem: quia hæc decreta de eo loquuntur, qui secundum obtinet beneficium, nec vult primum dimittere: sed Caius causa permutationis primum deponere iure compellitur.

Decimoquinto quaeritur, De eo, qui vult resignare beneficium suum, vt mihi detur, quod quia episcopus nequit sua auctoritate concedere, cum sit resignatio in gratiam, & fauorem alterius, non causa permutationis: fingitur facta causa permutationis. Illud in dubio veritur, ego ne possim totam hanc rem expedire causa permutationis, & cum nullum beneficium habeam, fingo me beneficium habere, quod nomino? Sentit Rebuffus in praxi. part. tert. tit. de permutat. numero decimoquarto. id licite fieri posse, quia si verbi gratia dedi tibi rem meam causa permutationis, & postea nolim ego tuam, permutatio non sit irrita. l. prima ff. de rerum permutat. quia tu vel potes ad tuam rem reuertit, vel eam mihi donato, vel me compellere ad permutationem absoluendam. l. ff. de rer. permut. Mihi tamen hæc sententia non placet, eo quod est in fraudem legis, & Canonis: cum ego nullum beneficium habeam.

### CAP. XXXI.

#### De rescriptis Pontificijs, quibus beneficia iure conseruantur.

Rebuff. in praxi beneficiorum par. 2. fuse tractat de modis quibus beneficia Canonice acquisita legitime reit conseruate queat: nec enim æque facile est beneficia retinere, & conseruare, atque illa acquirere, & impetrare, & nihilominus certi sunt modi, & formulæ, in iure præscriptæ, vel vsu receptæ, quibus legitime conseruentur. Sunt enim quinque aut sex rescriptorum Pontificiorum genera, quibus beneficia aliquo modo acquisita retineri & possunt, & solent: de quibus sunt mihi hoc loco pauca dicenda.

Primo quaeritur, Quam vim habeat rescriptum Pontificium vulgo dictum, *Perinde Valere*: Sciendum est, cum Romanus Pontifex litteras dat, quibus aliquid committit, solet interdum eas reuocare: & postea decernit eas etiam valere, & perinde ac si effectus esset subsecutus. Vnde clausula etiam (*valent*) in litteris Pontificijs de more apponitur, cum aliquid erat à Papa reuocatum, ac proinde irritum, idemque postea rursum iustis de causis Papa valere decernit. Cum vero nihil ante irritum fecit, sed aliam ob causam infirmum erat & inane quod gestum fuerat, datur rescriptum cum clausula, *Perinde valere*: quia Princeps potest fingere & statuere, vt aliquid perinde valeat ac sirite & iure tunc factum fuisset. vt Bartolus & alii annotauerunt in l. si quis qui pro tempore. de resuscipionibus.

Porto rescriptum perinde valere, differt à rescripto Pontificio quod dicitur *Nona prouisio*, inde perspicuum est quod hoc rescriptum datur, quando quod factum est ab aliquo loci Ordinatio, non valet, Papa illud confirmat, ac si valuisset: Rescriptum vero *Perinde valere* datur, quando